

tum esse nutritionem spiritualem per gratiam
dataam à Christo Domino. Sic docet Doctor
Angelicus Thom. 3. p. q. 79. & Scotus in 4.
d. 8. q. 3. ante B. pro cuius explicatione ad
uertat, quod sicut in nutritione naturali sunt plu-
ra, ita etiam in spirituali nutritione, quae per
hoc Sacrosanctum Sacramentum fit. In pri-
mis sumptio alimenti, quo nutritur viuens, om-
ne enim animal quadam viuit, necesse est, ut
nutriatur, quo nutrimento calor naturalis re-
ficitur, & ipsum nutrimentum viuenti vniatur
& incorporatur. Item si viuens est in debita
estate, non solum nutritur, verum etiam auge-
tur. Sic similiter in vita Spirituali, quae fit
per gratiam, in qua per Baptismum regene-
ratamur, oportet ut fiat, unde vita ista indiget
nutritionem, quia calor supernaturalis Chari-
tatis augetur, quae nutritio fit per sumptionem
huius Sacramenti Eucharistiae, ad hoc enim
principaliter fuit institutum. Vnde prouenit
ut sumens hoc Sacramentum, ipsi Sacramen-
to vniatur, & incorporetur, & in ipsum tran-
seat per gratiam. Item quia semper dum su-
mus viatores, sumus in debita aetate ad cres-
cendum in gratia, perinde in hoc Sacramen-
to causatur semper augmentum gratiae, &c.